



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XI. Friedrich, Bischof von Halberstadt, gestattet den Bau einer Kirche zur Bekehrung Wendischer Klosterdörfer Diesdorfs, am 2. Juni 1235.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

XI. Friedrich, Bischof von Halberstadt, gestattet den Bau einer Kirche zur Bekehrung Wendischer Klosterbörfer Diesdorfs, am 2. Juni 1235.

In nomine sancte et individue trinitatis Fridericus, dei gratia Halberstadenfis Episcopus. Quotiescunque ad Dei honorem per quoscunque fideles et Deo deuotos aliqua feliciter ordinantur, rationi consonum esse videtur ut et ea rata habeamus et nostre firmitatis munimine roboremus. Ideoque notum sit omnibus, quod cum homines quidam quarundam villarum videlicet Cuzeresdorp, Honlege, Modenborg, et item Modenborg ad ecclesiam Distorp pertinentium nondum fidem catholicam ad plenum susceperint, sed adhuc quibusdam teneantur paganis ritibus irretiti, Tidericus, dicte ecclesie prepositus, vir honestus et Deo deuotus, zelum Dei habens pre oculis et bonam habens voluntatem, quantum ex Dei proficere poterit adiutorio dictarum villarum incolas ad vere fidei inducere ueritatem in una iparum villarum ecclesiam construere definiuit, ut magis ex hoc ad fidem suscipiendam eorum deuotio excitetur. Sed hoc sine nostra permissione facere non preualens, cum in nostra sint diocesi constitute, consensum nostrum super eo deuote ac humiliter postulauit. Nos igitur piis votis ipsius pium prebentes assensum, non solum hanc eius voluntatem duximus hilariter admittendam, sed et decimas iparum villarum dicte ecclesie in Distorp duximus perpetuo conferendas, hoc cum restauro interposito, quod cum edificata ibi fuerit ecclesia de cetero ab ecclesia in Distorp nostre ecclesie ferto annis singulis ad luminaria persoluatur. Vt autem dicti homines magis ad deuotionem fidei incitentur, de assensu et voluntate Burchardi Vicedomini, nostri Archidiaconi in Witingen, hanc eis gratiam duximus faciendam, ut ad Synodum in Witingen venire non cogantur, sed per se Synodum habeant per Archidiaconum de Witinge vel eius vicarium celebrandam, et omnes uille ille ad unam ecclesiam que in una iparum constructa fuerit pertinebunt. Hujus rei testes sunt Sifridus de Huiesburg, Albertus de Lutere, Tidericus S. Egidii in Brunfwik Abbates, Rodolfus S. Johannis et Tidericus S. Jacobi in Halberstad prepositi, Heinricus Comes de Sladen, Hermannus de Schirnbeke nobiles, Alardus miles de Burchdorp, Luderus frater domus militie templi et alii quam plures. Acta sunt hec anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXXV<sup>o</sup>. Et ne super eo dubium in posterum oriatur presentem paginam inde conscriptam et sigilli nostri impressione munitam prefate ecclesie in Distorp super eo duximus in testimonium validum erogandam. Datum IV. Non. Jun. pontificatus nostri anno XXV<sup>o</sup>.

Gercken's Dipl. II, 157—160. — Beckmann's Besch. V, I, X., Sp. 146. 147.